



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

4. Vtrum qua[n]titas, aut aliquod accidens, aut collectio accidentiu[m] sit
principium indiuiduationis,
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Paulo: ergo negatio, quam dicit indiuiduum, sequitur ad ipsam naturam specificam indiuidui.

Respondeo distinguendo minorem: competit ipsi formaliter, ut natura specifica, nego minorem: competit ipsi realiter & ratione hæcæitatis annexæ, concedo minorem. Ad probationem dico, quod repugnet quidem ipsi naturæ specificæ, quæ est in Petro, diuidi in plura realiter, & à parte rei, non tamen formaliter, & ut consideratur in esse naturæ specificæ præcise.

Dices: ergo posset quantum est ex se plurificari.

Respondeo distinguendo consequens: posset quantum est ex se realiter loquendo, nego; formaliter loquendo quatenus ut natura non dicit formaliter repugnantiam, ad hoc, concedo; neque id est absurdum. Itaque, quemadmodum animal, quod est in homine, quandoquidē identificetur realiter rationalitati, nequit de potètia absoluta simpliciter esse in bruto, licet id ipsi non repugnet ex conceptu suo formalitè natura, quæ est in Petro, nequit esse in Paulo realiter, quia identificatur Petreitati, sed non tamen repugnat illi esse in ipso, ut concipitur per modum naturæ illius, quæ est in Petro specificatiue.

26. *Probatur secundò conclusio*, quia sine dubio est aliqua entitas positiua in vno indiuiduo, v.g. in Petro, quæ non est in Paulo, nec potest esse in illo, alias non distingueretur realiter Petrus & Paulus: sed illa entitas positiua est principium istius negationis, quam dicit, quatenus non potest esse in Paulo: ergo negatio, quam dicit indiuiduum, præsupponit aliquid positiuum: sed non naturam specificam, ut talem formaliter: ergo sub aliqua alia ratione.

Obiicies pro aduersariis; non potest assignari quodnam positiuum dicat indiuiduum supra naturam specificam; ergo non debet asseri, quod dicat aliquid positiuum.

Respondeo negando antecedens, cuius ratio patebit ex dicendis, & modò breuiter dico esse aliquid positiuum identificatum naturæ specificæ, ratione cuius formaliter conuenit rei includenti talem naturam, non esse ulterius multiplicabilem.

Obiicies secundò: licet possit concipi rationalitas, ut est differentia hominis positiua & absoluta, seu ut est principium quo formale, ratione cuius competit ei discurre, sine eo, quod cognoscatur, ut dicit negationem brutalitatis; tamen hinc non sequitur quod illa negatio præsupponat aliud positiuum formaliter distinctum ab illa rationalitate: ergo licet possit concipi natura specifica, verbi gratia humanitas, sub conceptu humanitatis, quatenus scilicet, est essentia hominis, & id ratione cuius competit ipsi sentire & discurre sine eo, quod concipiatur cum negatione communicabilitatis aut multiplicationis numeralis, tamen non inde sequitur quod illa negatio exigit aliud principium positiuum formale distinctum vilo modo ab humanitate.

Respondeo negando consequentiam, & disparitas est, quod si concipiam rationalitatem, ut est principium quo formale, & metaphysicum discurrendi, & simul brutalitatem, ut est principium impotens ad discurrendum, potero optime cognoscere, quod rationalitas & brutalitas sint distincta, quia statim ad applicationem mutuum apparebit distinctio eorum, & negatio similitudinis, quam dicunt; unde non est necessarium requirere aliquod aliud principium positiuum distinctionis eorum. Sed si concipiatur perfectissime humanitas, quæ est in Petro, & concipiatur Paulus, non poterit cognosci quod humanitas illa distinguatur numero, aut realiter à Paulo: ergo debet necessarid concipi sub aliquo alio positiuo conceptu, ratione cuius possit cognosci quod sit distincta numero & realiter à Paulo.

CONCLUSIO III.

27. *Natura specifica perfecte præscindit à singularitate*. Hæc est tertia sententia contra secundam, & probatur, quia secundum ipsammet Auerfam, ille conceptus præscindit perfecte ab alio conceptu, qui potest intelligi absque alio conceptu, & qui non imbibitur intrinsece in conceptu altero contrahente; unde secundum ipsam, animal ut sic, præscindit perfecte à rationalitate; ens

vero non præscindit à suis differentiis, quibus contrahitur ad accidens & substantiam. Hanc doctrinam de præcisione perfecta & imperfecta proponit dictus auctor *quæst. 8. s. 8.* Sed sic est quod humanitas possit concipi sine eo, quod concipiatur ut incommunicabilis, & quod non includatur formaliter in singularitate, nec in Petro, quia est indiuiduum formaliter: ergo perfecte præscindit à singularitate, & positiuo illo, quod inuoluit Petrus, ratione cuius competit ipsi negatio incommunicabilitatis.

Confirmatur, quia non magis potest dici, quod humanitas imbibatur in Petreitate, quam quod animalitas imbibatur in rationalitate, nec magis debet dici, quod animalitas præscindat perfecte à rationalitate, quam quod humanitas perfecte præscindat à singularitate omni: sed animalitas secundum ipsum perfecte præscindit à rationalitate, & non imbibitur in ipsa: ergo idè dicendum de humanitate respectu singularitatis.

28. *Negat Auerfa s. 12.* esse eandem rationem de animalitate & rationalitate, ac de singularitate & humanitate; quia, inquit, singularitas imbibitur in omni gradu ita, ut non possit singularitas humana distinguì perfecte ab humanitate.

Contra, quia hoc dicendo petit principium, & oportet ostendere rationem, cur singularitas humana non præscindat formaliter ab humanitate.

Contra secundò, quia rationalitas animalis, hoc est, quæ contrahit animal, tam intrinsece imbibitur in animalitate, quam singularitas humana imbibitur in humanitate: ergo si animalitas perfecte præscindit à rationalitate, humanitas perfecte præscindit à singularitate.

Dices cum ipso, differentià non præscindire perfecte à genere, si soli illi generi conueniat, quamuis perfecte præscindat, si possit conuenire alteri generi, ut in sententia aliquorum rationalitas non soli animali conuenit, ut nec soli homini, sed etiam Angelis, ac generi Angelorum.

Contra, quia si rationalitas ex eo, quod formaliter possit eadem competere homini, ac Angelis, perfecte præscindit ab animali, quod contrahit ad hominem: ergo similiter animal ex eo, quod possit formaliter competere alicui, quod non habet rationalitatem, perfecte præscindit à rationalitate, sine qua potest esse; & similiter ex eo, quod humanitas possit esse sine Petreitate secundum integram suam rationem formalem, nimirum cum Pauleitate, sequitur quod perfecte præscindat à Petreitate.

Confirmatur præterea hæc conclusio, per ea, quæ dicimus in Metaphysica, quando probabimus, ens, ut sic, perfectissime præscindere à suis differentiis: nam si id sit verum, sine dubio æque erit verum quod natura specifica perfecte præscindat à singularitate.

Fundamentum potissimum *Auerfa*, quod ab ipso fuisse & subtiliter proponitur, est quod sequeretur dari singularitatem in communi, quæ perfecte præscindat à singularitatibus in particulari, quod ipse meritò iudicat falsum, ut & ego etiam docui quæstione præcedenti. Sed falsa est sequela hæc, nam non est eadem ratio de præcisione naturæ ab indiuiduis, ac de præcisione singularis ut sic ab hoc & illo singulari.

QUESTIO IV.

Utrum quantitas, aut aliquod accidens, aut collectio accidentium sit principium indiuiduationis.

9. *Q*uia resoluius aliquod positiuum distinctum aliquo modo à natura specifica esse principium indiuiduationis rerum singularium, ratione cuius principii competit ipsi negatio communicabilitatis numerice, examinandum ulterius est, quodnam sit illud positiuum: quia de re, quia plures sunt modi dicendi, pluribus quæstionibus agemus confusionis vitandæ gratia.

Aduertendum autem triplex posse considerari principium indiuiduationis: vñ formale, & proximum, ad quod immediate & formaliter sequitur ipsa negatio communicabilitatis, & per quod per se primò & formaliter habet res indiuidua distinguì à natura, quæ indiuiduatur. Alterum remotum & radicale, ratione cuius cõpetit rei

triplex
indiui-
duatio-
nis prin-
cipium.

Natura
specifica
perfecte
præscin-
dit à sin-
gulari-
tate.

rei habere illud principium proximū & formale. Tertiū erit illud principium, ex quo potest aliquis colligere quod aliquid sit individuum, aut quod vnum individuum distinguitur ab alio individuo, quamvis ipsummet nō sit principium formale, nec radicale indiuiduationis à parte rei. Ad hūc modum communiter assignatur pro principio formali constitutio hominis rationalitas, & pro principio radicali huius, ab aliquibus anima sola, ab aliis anima cum corpore: pro principiis vero, ex quibus nos possumus colligere quod insit rei rationalitas aut anima, operationes illæ particulares, quas homo habet, & non haberet nisi esset rationalis & constaret anima.

30. *Prima sententia* posset esse, quod collectio talis, vel talis accidentium esset à parte rei principium indiuiduationis substantiæ materialis, vel formale, vel radicale. Huic fauere videtur *Porphirius* dum describit individuum primò intentionaliter sumptum per ordinem ad huiusmodi collectionem: fauet etiam *Auicenna*, *Boëtius*, *Damasceus*, & *Basilius*.

Secunda sententia est quantitas esse principium formale, vel radicale indiuiduationis substantiæ materialis. Hanc tenuisse videtur *Gottfriedus*, & ex parte eam amplectuntur *Soncinus*, *Ferrariensis*, & *Capreolus*, quatenus ex duobus prædicatis, quæ per se competunt individuo, nimirum esse incommunicabile, & esse distinctum à quocumque alio, dicunt hoc vltimum competere ipsi ratione quantitatis; & quotquot ex Thomistis dicunt principium indiuiduationis esse materiam signatam, & explicant hanc signationem per ordinem ad quantitatem, de quo postea, fauent huic sententiæ.

Tertia sententia communissima cum *Doct. in 2. dist. 3. qu. 4.* tenet principium indiuiduationis substantiæ materialis, nec formale nec radicale esse quantitatem, nec vllum consequenter accidens, nec etiam collectionem accidentium, & vniuersaliter principium formale indiuiduationis cuiuscumque rei non esse aliquid realiter distinctum à re individua, ac singulari quacumque.

CONCLUSIO I.

31. *Nec quantitas, nec vllum aliud accidens, nec collectio vlla accidentium est principium formale aut radicale indiuiduationis substantiæ vllius.* Hæc est iuxta tertiam sententiam contra duas primas.

*Probat*ur efficaciter, quia potest esse substantia quacumque individua absque quantitate, & quocumque accidente absoluto, & quacumque etiam collectione talium accidentium: ergo nec quantitas, nec accidens aliquod absolutum vllum, nec vlla collectio accidentium absolutorum est principium formale aut radicale indiuiduationis; per principium enim formale & radicale indiuiduationis intelligimus illud, sine quo non potest esse indiuiduatio.

Confirmatur, quia quantitas eadem cum quocumque accidente absoluto, & quacumque etiam collectione talium accidentium, quæ assignari possunt pro principio indiuiduationis substantiæ materialis singularis, v.g. panis, potest esse absq; eo quod sit hic panis, vt patet de facto in mysterio Eucharistiæ, vbi reperiuntur accidentia omnia absoluta, quæ fuerunt ante consecrationem in pane, post consecrationem absque pane: sed non potest esse principium formale aut radicale, saltē totale, indiuiduationis absque re indiuiduata per ipsum: ergo nec quantitas se sola, nec vllum accidens absolutum, nec vlla collectio accidentium potest esse principium indiuiduationis.

Confirmatur secundo, quia potest esse eadem numero quantitas cum quacumque collectione accidentium absolutorum in diuersa numero substantia, etiam pro eodem tempore, pro quo fuit in alia substantia: ergo non potest esse principium formale aut radicale indiuiduationis, quia alias illæ duæ substantiæ essent & non essent eadem numero substantia; nō essent quidem ex hypothese quod essent distinctæ; essent autem ex eo, quod conuenirent in eodem principio radicali aut formali indiuiduationis. Dico autem quod eadem quantitas cum eadem collectione accidentium posset esse in diuersis numero substantiis pro eodem tempore, non simul, sed ita, quod

si Deus nolisset illa ponere in hac substantia, in qua ea de facto produxit pro tali tempore, posset ea ponere in alia substantia pro eodem tempore: imo simul possunt poni in diuersis numero substantiis, si vera sit sententia quod vnum accidens numero possit poni in diuersis subiectis; quæ sane probabilissima est.

32. *Dices* in fauorem primæ sententiæ: quādo assignatur pro principio indiuiduationis collectio accidentium, nō debere intelligi hoc de collectione accidentium absolutorum solummodo, sed de collectione accidentium, in qua essent aliqua relatiua, vt v.g. forma, figura, respectus ad tempus & locum: huiusmodi autem collectio nequit reperiri aut absque illa natura singulari, in qua semel existit, aut in pluribus naturis singularibus.

Contra, quia quantum ad formam & figuram accidentalem, certum est esse eandem formam & figuram accidentium Eucharistiæ post & ante consecrationem, & eādem etiam numero posse esse in alia substantia panis distincta à priori: & idem est de respectu eorundem accidentium ad tempus & locum. Quod si velis dicere respectum ipsiusmet substantiæ singularis ad locum & tempus non posse reperiri in alia substantia, verum quidem est, sed nihil ad propositum, quia non ab illo respectu indiuiduatur substantia, quandoquidem eadem substantia possit esse absque vlllo particulari respectu ad locum & tempus, quia scilicet potest esse in alio loco & alio tempore, & potuisset non fuisse in vlllo loco aut tempore in quo fuit.

33. *Probat*ur secundo, quia ipsa quantitas, quæ esset principium indiuiduationis vel formale vel radicale, Petri v.g. debet esse singularis, vt indiuiduet & constituat Petrum in esse tali vel formaliter vel radicaliter: tum quia alias non posset inexistere Petro, nec enim quantitas vniuersalis non singularis potest existere à parte rei, vt est euident, quia alias daretur idæa Platonica; tum quia quantitas secundum rationem specificam suam est indifferens ad indiuiduandum Petrum, & quodcumque aliud indiuiduum materiale, & consequenter ad hoc vt determinetur ad Petrum, debet esse singularis. Tum sic: Quantitas habet esse singularis vel à seipsa, vel ab aliquo alio: si dicas quod seipsa indiuiduetur absque aliquo principio formali aut radicali indiuiduationis distincto realiter aut formaliter à se: ergo idem posses dicere de illa substantia, in qua subiectatur, & quam dicis per quantitatem indiuiduari; & consequenter non debes dicere quod illa substantia indiuiduetur per quantitatem radicaliter aut formaliter.

Si dicas, quod quantitas indiuiduetur per aliquid formaliter tantum à se distinctum: ergo idem etiam posses dicere de ipsa substantia. Si denique dicas quod indiuiduetur per aliquid realiter distinctum, præterquam quod non possit assignari quid sit, adhuc sequeretur quod ipsa substantia posset etiam dici per illud, & non per quantitatem formaliter aut radicaliter indiuiduari, & sic quantitas non esset principium formale aut radicale indiuiduationis, sed potius illud alterum, per quod indiuiduaretur ipsa quantitas.

Hoc argumentum potest fieri de quocumque accidente tam absoluto quam respectiuo, & de quacumque etiam collectione accidentium, & conuincit conclusionem, quæ variis aliis rationibus probari posset: sed sufficiet vnam addere particulariter contra *Ferrar.* & *Capreolū*: Ipsa substantia Petri v.g. seclusa quantitate, non solum esset realiter immultiplicabilis numero, sed etiā re vera non esset substantia Pauli, quandoquidem posset esse in rerum natura sine Paulo, sicut & Paulus sine Petro, distinguuntur enim sine dubio realiter Petrus & Paulus; ergo non solum non habet Petrus incommunicabilitatem à quantitate, sed nec ab ipsa habet distinctionem numeralem, quia distinctio numeralis nihil aliud est, quam vel negatio, secundum quam dici potest quod hæc res incommunicabilis non sit illa, vel certe principium ad quod sequitur illa negatio.

34. *Obiit*, quādo aliquid primò & per se cōpetit alicui, si tale quid cōpetit alicui alteri, debet cōpetere ipsi ratione illius,

Nec quantitas nec vllū accidens absolutū aut collectio accidentium est principium indiuiduationis.

illius, cui primo & per se competit: sed diuidi numerice nihil aliud est, quam diuidi in partes eiusdem rationis, & hoc competit per se primo quantitati: ergo non potest cōpetere alicui substantiæ aut accidenti nisi ratione quantitatis: ergo quātitas est principium vel formale, vel radicale diuisionis numerice, & cōsequenter indiuiduationis.

Respondetur, quidquid sit de maiori, de qua dubitari posset, quia etiam si calor per se primo cōpeteret igni, non propterea sequeretur, quod non cōpeteret alicui alteri, nisi rei habenti in se ignem, aut nisi ratione ignis; unde maior prædicta, ut sit vera, debet intelligi de eo, quod ita conuenit per se alicui, ut non possit dari illud, nec aliquid simile ipsi absque eo, cui sic cōpeteret. Sed quidquid sit de hoc, admissa maiori.

Respondet distinguendo minorem: diuidi numerice nō est aliud, quam diuidi in partes subiectiuas eiusdem rationis, de quibus ipsum diuisū prædicatur, & in quibus multiplicatur, concedo minorem pro illa parte, & nego secundā partē, quod hoc cōpetat per se primo quātitati magis quā substantiæ aut qualitati: diuidi numerice non est aliud quam diuidi in partes integrantes, de quarū singulis ipsū diuisū nō prædicatur, sicut diuiditur totum homogeneum hoc est totū constans partibus integran- tibus eiusdem rationis, v.g. aqua in plures aquas per dis- continuationem suarū partium, nego minorem, quia certum est Petrū & Paulum distingui numero, & naturā humanā diuidi in illis numerice, & tamen non diui- ditur in illis hoc modo. Quod si etiam in hoc sensu con- cederetur quod diuidi numerice non est aliud quam di- uidi in partes integrantes eiusdē rationis, de quarū sin- gulis non prædicatur ipsum diuisum, adhuc negaretur secunda pars minoris, nempe quod diuidi numerice cō- petat per se primo quantitati, nam substantiæ materia- les & qualitates sunt etiam diuisibiles in tales partes, ut ostendimus inferius, dum agemus de quantitate.

35. Fatendum est quidē, quod diuisibilitas aliqua par- ticularis competat quantitati, & quod nihil possit diuidi diuisione correspondenti tali diuisibilitati, nisi vel quā- titas vel subiectū quantitatis, vel subiectatum in quanti- tate aut quanto, & quod consequenter quātitas sit prin- cipium diuisionis huiusmodi, non tamen formale, quia ip- sa diuisio, seu separatio partium est, hoc formaliter vñ diuiditur numero ab alio, etiam in hoc sensu, nec aliud principium formale diuisionis requiri debet. Erit ergo quantitas principium radicale huius diuisionis: quatenus nulli alteri rei potest cōpetere talis diuisio nisi habenti quantitatem pro forma, ut substantia habet, vel pro sub- iecto, ut qualitates materiales subiectatæ in quantitate.

Sed hinc nō sequitur, quod quantitas sit principium ra- dicalē, aut formale indiuiduationis simpliciter, seu illud ratione cuius vñ indiuiduū distinguitur aut à natura specifica aut ab alio indiuiduo. Imo non sequitur, quod quātitas vlla sit ratio formalis, aut radicalis cur aliquid dicatur vñ numero indiuiduum distinctum ab alio numero indiuiduo, etiam accipiendo vñ numero pro vna re quantitativa, quia probabilis est vñam numero quantitatem posse esse non solum successiue in Petro & Paulo per Dei potentiam, sed etiam simul & semel, & tamen in vtroque casu Petrus & Paulus distingueren- tur numero in sensu proposito, quia essent duo incom- municabilia habentia quantitatem, quorum vñum non esset coniunctum alteri: ergo quantitas non est ratio formalis aut radicalis adæquata, ob quam duo quanti- tativa distinguuntur à se inuicem, quamuis sit ratio si- ne qua non possint distingui numero, quandoquidem non possint esse quantitativa sine quantitate.

36. Ut hæc res adhuc clarius intelligatur, aduertendum est, aliquid quantitativum esse diuisum ab alio quātita- tiuo, posse habere duplicem sensum, primo quod sit se- paratum ab ipso per ablationem coniunctionis & cōti- nationis quam ante habuit cū ipso; secundo quod sit se- paratum ab ipso per negationem vnionis seu cōtinua- tionis, siue illa continuatio fuerit ante, siue non fuerit.

Sed neutro ex his modis quantitas est ratio formalis aut radicalis totalis, ratione cuius vñ quantitativus cō-

petit esse diuisus ab alio quantitativus: non primo modo, quia res diuisa, quæ ante fuit continuata, habuit eandem quantitatem quoad omnia absoluta, quæ sunt de ratione quantitatis, ante & post diuisionem: ergo non est prin- cipium radicale nec formale diuisionis, quia alias res esset diuisa, quando erat continuata. Non etiā secundo modo, quia alias non posset res diuisa continuari manēte eadē quātitate, quod falsum apparet in aqua, quæ quāuis nū- quā fuisset coniuncta aut continuata, posset postea cō- tinuari cum alia aqua, nō deperdita quantitate sua. Pro- batur sequela, quia manente principio formali aut radi- cali diuisionis nequit res non esse diuisa. Itaque prin- cipium formale quare hæc aqua sit diuisa ab illa aqua, cui erat ante coniuncta; vel est negatio vnionis quæ ante fuit, vel aliquid positivum distinctum à quantitate, ad quod sequitur talis negatio. Et principium radicale, ad quod necessario sequitur talis negatio, aut positivum, non est assignandum, sed dicendum est quod sequatur nunc ex eo, quod causa efficiens producat aliquid iam quod ante non produxit, vel definat conservare aliquid quod ante conservabatur vel producebatur. Similiter principium formale, quare hæc aqua sit diuisa ab alia aqua, cui non erat ante coniuncta, est negatio continua- tionis cum illa, non præsupponens nec connotans con- tinuationem antecedentē, aut aliquid positivum, ad quod sequitur talis negatio; nec assignandū est aliquid prin- cipium radicale ad hanc diuisionem, sicut nec ad priorem, sed recurrendum ad principium effectivum.

CONCLUSIO II.

37. Nec quantitas, nec vñum aliud accidens, nec collectio vlla accidentium potest esse sufficiens principium nobis ad colligendum cum certitudine quod vñum vñum indiuiduum sit distinctum ab omnibus aliis indiuiduis determinate. Hæc patet ex dictis, quia quantitas, & quodcunque accidens, & quæcunque etiam collectio accidentium, quæ est in vno indiuiduo, possent esse secundum omnem ratio- nem, secundum quam à nobis cognoscuntur, in alio in- diuiduo: ergo ex illis non potest cognosci cum certitu- dine, quod vñum ex illis, in quo sunt, distinguatur ab alio, in quo & sunt.

Confirmatur efficaciter, quia duo indiuidua aqua, v.g. possent esse tam similia in omnibus accidentibus, ut na- turaliter non possumus cognoscere, si proponatur nobis successiue, an aqua, quæ secundo loco proponitur, sit ip- samet aqua, quæ primò proponebatur, vel altera aqua.

Hoc tamen non obstante, per hoc quod videamus ali- quid habere quodcunque accidens possumus ex hoc col- ligere quod sit singulare, quia accidentia realiter exi- stentia habent aliquod subiectum singulare necessario; nec enim possunt subiectari in naturis vniuersalibus, quæ non dantur à parte rei nisi in singularibus. Rursus per hoc quod videamus aliqua simul habere accidentia aliqua diuersa siue absoluta siue respectiva, colligimus illa esse numero distincta; & hæc de causa Porphyrius, Damascenus, & Basilii describere indiuidua per ordi- nem ad accidentia, quia se nos colligimus communiter ex diuersitate accidentium indiuidua esse distincta, seu vñum indiuiduum non esse aliud; & hinc ex eo quod vi- deamus Petrum esse longum, & Paulum brevem, colli- gimus Petrum non esse Paulum, & ita de cæteris. Et hinc etiam, quando non reperimus hanc diuersitatem, pro- pter summam rerum aliquarum, v.g. duarum aquarum etiam in accidentibus similitudinem, non possumus vñam ab altera distinguere.

QUÆSTIO V.

Virum existentia sit principium indiuiduationis.

38. Henricus tenere videtur partē affirmatiuā, quem videtur secutus Agidius Romanus, nam in hoc fundat secundum aliquos suos sequaces aliam sententiā de multiplicatione Angelorum intra eandem speciē, sic enim in hac re philosophatur ut existimet, nō posse dari vñū Angelum similem vñi Angelo, qui de facto existit, quādiu existit, si tamē annihilaretur Angelus, qui de fa- cto existit, tū posse Deum producere duos Angelos eius- dē speciē cū ipso. Et si quæretur cur isti alij Angeli sint

Quantitas non po- test esse principium vnde nos colligimus vñū indiuiduum dis- tingui ab alio.

Sentētia Agidij Romani.

simul

Quo- sc- su quan- titas po- test esse principium diuisionis.